



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Svccinctam Doctrinarum Asceticarum Svmmam Comprehendens - Quam
ad majorem omnium in Ascési proficere cupientium utilitatem ac
subsídium

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1685

§. 4. De Cognitione sui.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48214)

De Cognitione sui.

I. Est Scientia, quâ homo ad movendum ætium suum, seipsum quoad naturalia & moralia cognoscit, & quid ex se habeat, quid verò ex DEO possideat, attenta mentis consideratione discernit, qua tria bene observare debet. Ascera,

II. Primum est, in quo consistat vera sui cognitio. Quâ in re facem egregiè præfert S. Ambrosius sic discurrens: Quid est se noscere? nisi ut sciat unusquisque hominem ad imaginem & similitudinem DEI factum, rationis capacem, qui terram suam excolere, tanquam bonus Agricola debeat, aratro quadam & falce Sapientiæ, ut vel dura findantur, vel luxuriantia recidantur, qui inferiorem sui portionem omnium imperio debeat gubernare? Unde etiam in legibus scriptum est: attende tibi: ne fiat verbum absconditum in corde tuo. Tibi, inquit, attende; non de tique dicit pecuniæ tuæ, non possessionibus tuis, non viribus corporis, sed animæ ac menti tuæ: unde cetera consilia, facta, cogitationesque manant. Tibi ergo attende ibi, ubi potiorem esse te nôsti.

III. Alterum est, ut magnam concipiat æstimationem de hac cognitione; quam quidem haud difficulter concipiet, si meminerit, eandem meritò ab antiquis Patribus pro fundamento totius ædificij spiritualis habitum esse, utpote ex qua vera & genuina humilitas, sine quâ nec caritas, nec ulla alia virtus subsistere diu potest. Adde, quòd, teste Aristotele, diffi-

ficillimum, atque adeò pulcherrimum quoque sit cognoscere seipsum.

IV. Tertium est, ut solidam quoque praxin cognoscat, acquirendi & exercendi hanc sui cognitionem; quam quidem duplici modo consequi potest, nempe vel per comparisonem sui cum DEO aut cum alijs hominibus, maximè justis & perfectis, uti supra §. 6. num. 1. S. Ignatium doctuisse diximus; vel per accuratam considerationem propriarum infirmitatum & imperfectionum, uti Innocentius Pontifex docuit sequentibus verbis: O vilis conditionis humanæ indignitas! O indigna vilitatis humanæ conditio! herbas & arbores investiga, illæ de se producunt flores, & frondes, & fructus, & tu de te lendes, lumbricos, & pediculos. Illæ de se effundunt oleum, vinum, & balsamum, & tu de te spurum, & urinam, & stercurus. Illæ de se spirant suavitatis odorem, & tu de te reddis abominationem fœtoris. Qualis arbor, talis fructus; non enim potest arbor bona malos fructus facere.

§. V.

De Examine Conscientiæ.

I. Est seria super actiones suas quotidianas reflexio; de qua tria præcipuè Ascetæ bene observanda sunt.

II. Primum est, ut magnam æstimationem concipiat de illo; quod obtinebit, si perpenderit, hoc medio multos sanctos Viros, & præcipuè S. Ignatium, præ reliquis usos fuisse ad magnam sanctitatem comparandam; & præterea bene considerârit, quod
S. Bernar-